Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8336
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

radix de terra sitienti. Non est species ei neque decor. Et uidimus eum et non
erat aspectus: et desiderauimus eum despectum et nouissimum uirorum: uirum do
lorum et scientem infirmitatem: et quasi abscondit uultum suum a nobis despectus. Unde
nec reputauimus eum. Ueri languores nostros ipse tulit: et dolores nostros
ipse portauit. Et nos putauimus eum quasi leprosum et percussum a deo et humi
liatum: ipse autem uulneratus est propter iniquitates nostras: attritus est propter scelera
nostra. Disciplina pacis nostre super eum: et liuore eius sanati sumus. Omnes
nos quasi oues erauimus: unusquisque in uiam suam declinauit: et dominus posuit in
eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est quia ipse uoluit: et non aperuit os
suum. Sicut ouis ad occisionem ducetur: et quasi agnus coram tondente se om
mutescet: et non aperuit os suum. De angustia et de iudicio sublatus est.
Generationem eius quis enarrabit: quia abscisus est de terra uiuentium: Propter
scelus populi mei percussi eum. Et dabit impios pro sepultura et diuitem pro
morte sua: eo quod iniquitatem non fecerit. nec dolus fuerit in ore eius. et dominus
uoluit contere eum in infirmitate. Si posuerit pro peccato animam suam: uu
debit semen longeuum. et uoluntas domini in manu eius dirigetur: pro eo quod tradi
dit in morte animam suam. et cum sceleratis reputatus est. Et ipse peccata
multorum tulit: et pro transgressoribus rogauit ut non puniret. Dixit dominus omnipo-
tens. Appropinquabat dies festus azimorum: Passio d̃o. n. i. x̃. s̃. lucam.
quem dicitur paschae. Et quaerebant principes sacerdotum et scribe quomodo iesum interi
ficerent: timebant uero plebem. Intrauit autem sathanas in iudam qui cognomi
nabatur scariothis: unum de duodecim. Et abiit et locutus est cum principibus sac
dotum et magistratibus: quemadmodum illum traderet eis. Et gauisi sunt: et pac
tus est pecuniam illi dare. Et spopondit. Et quaerebat opportunitatem: ut
traderet illum sine turbis. Ueniit autem dies azimorum: in qua necesse erat
occidi paschae. Et misit petrum et iohem dicens. Euntes parate nobis pa
schae ut manducemus. At illi dixerunt. Ubi uis paremus? Et dixit ad
eos. Ecce introeuntibus uobis in ciuitatem: occurret uobis homo amphoram
aque portans. Sequimini eum in domum in qua intrat: et dicetis patrifamilias
domus. Dicit tibi magister. Ubi est diuersorium: ut paschae cum discipulis meis
manducem? Et ipse ostendet uobis cenaculum magnum stratum: et ibi parate.